

**Bijlage VWO
2017**

tijdvak 2

Latijn

tevens oud programma Latijn

Tekstboekje

Tekst 1

De stichting van Rome

1 Iam tum in Palatio monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, et a
2 Pallanteo, urbe Arcadica, Pallantium, dein Palatum montem appellatum;
3 ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus
4 tenuerit loca, sollemne allatum ex Arcadia instituisse ut nudi iuvenes
5 Lycaeum Pana venerantes per lusum atque lasciviam current, quem
6 Romani deinde vocarunt Inuum. Huic deditis ludicro cum sollemne notum
7 esset insidiatos ob iram praedae amissae latrones, cum Romulus vi se
8 defendisset, Remum cepisse, captum regi Amulio tradidisse, ultiro
9 accusantes. Crimini maxime dabant in Numitoris agros ab iis impetus fieri;
10 inde eos collecta iuvenum manu hostilem in modum praedas agere. Sic
11 Numitori ad supplicium Remus deditur. Iam inde ab initio Faustulo spes
12 fuerat regiam stirpem apud se educari; nam et expositos iussu regis
13 infantes sciebat et tempus quo ipse eos sustulisset ad id ipsum
14 congruere; sed rem immaturam nisi aut per occasionem aut per
15 necessitatem aperiri noluerat. Necessitas prior venit: ita metu subactus
16 Romulo rem aperit. Forte et Numitori cum in custodia Remum haberet
17 audissetque geminos esse fratres, comparando et aetatem eorum et
18 ipsam minime servilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum;
19 sciscitandoque eodem pervenit ut haud procul esset quin Remum
20 agnosceret. Ita undique regi dolus nectitur. Romulus non cum globo
21 iuvenum — nec enim erat ad vim apertam par — sed aliis alio itinere iussis
22 certo tempore ad regiam venire pastoribus ad regem impetum facit; et a
23 domo Numitoris alia comparata manu adiuvat Remus. Ita regem
24 obtruncat. Numitor inter primum tumultum, hostes invasisse urbem atque
25 adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem praesidio
26 armisque obtinendam avocasset, postquam iuvenes perpetrata caede
27 pergere ad se gratulantes vidi, extemplo advoco concilio scelera in se
28 fratribus, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem
29 deinceps tyranni seque eius auctorem ostendit. Iuvenes per medium
30 contionem agmine ingressi cum avum regem salutassent, secuta ex omni

31 multitudine consentiens vox ratum nomen imperiumque regi efficit.
32 Ita Numitori Albana re permissa Romulum Remumque cupido cepit in iis
33 locis ubi expositi ubique educati erant urbis condendae. Et supererat
34 multitudo Albanorum Latinorumque; ad id pastores quoque accesserant,
35 qui omnes facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium pre ea
36 urbe quae conderetur fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum
37 malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti
38 principio. Quoniam gemini essent nec aetatis verecundia discrimen facere
39 posset, ut di quorum tutelae ea loca essent auguriis legerent qui nomen
40 novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatum Romulus, Remus
41 Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.
42 Priori Remo augurium venisse fertur, sex voltures; iamque nuntiato
43 augurio cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua
44 multitudo consulutaverat: tempore illi praecepto, at hi numero avium
45 regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi certamine irarum ad
46 caudem vertuntur; ibi in turba ictus Remus cecidit. Volgatior fama est
47 ludibrio fratribus Remum novos transiluisse muros; inde ab irato Romulo,
48 cum verbis quoque increpitans adieciisset, "Sic deinde, quicumque alias
49 transiliat moenia mea," interfectum.

Livius, AUC 1.5-1.7.2

Tekst 2

Het einde van de regeerperiode van Tarquinius Superbus in zicht

1 Intentus perficiendo templo, fabris undique ex Etruria accitis, non pecunia
2 solum ad id publica est usus sed operis etiam ex plebe. Qui cum haud
3 parvus et ipse militiae adderetur labor, minus tamen plebs gravabatur se
4 templa deum exaedificare manibus suis quam postquam et ad alia, ut
5 specie minora, sic laboris aliquanto maioris traducebantur opera, foros in
6 circo faciendos cloacamque maximam, receptaculum omnium
7 purgamentorum urbis, sub terra agendum; quibus duobus operibus vix
8 nova haec magnificentia quicquam adaequare potuit. His laboribus

9 exercita plebe, quia et urbi multitudinem, ubi usus non esset, oneri
10 rebatur esse et colonis mittendis occupari latius imperii fines volebat,
11 Signiam Circeiosque colonos misit, praesidia urbi futura terra marique.
12 Haec agenti portentum terribile visum: anguis ex columna lignea elapsus
13 cum terrorem fugamque in regiam fecisset, ipsius regis non tam subito
14 pavore perculit pectus quam anxiis implevit curis. Itaque cum ad publica
15 prodigia Etrusci tantum vates adhiberentur, hoc velut domestico exterritus
16 visu Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum mittere statuit. Neque
17 responsa sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea
18 tempestate terras, ignotiora maria in Graeciam misit. Titus et Arruns
19 profecti; comes iis additus L. Iunius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus,
20 iuvenis longe alias ingenio quam cuius simulationem induerat. Is cum
21 primores civitatis, in quibus fratrem suum, ab avunculo interfectum
22 audisset, neque in animo suo quicquam regi timendum neque in fortuna
23 concupiscendum relinquere statuit contemptuque tutus esse ubi in iure
24 parum praesidii esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae,
25 cum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit
26 cognomen ut sub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani
27 animus latens opperiretur tempora sua. Is tum ab Tarquiniis ductus
28 Delphos, ludibrium verius quam comes, aureum baculum inclusum corneo
29 cavato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem
30 ingenii sui. Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis cupidio
31 incessit animos iuvenum sciscitandi ad quem eorum regnum Romanum
32 esset venturum. Ex infimo specu vocem redditam ferunt: 'imperium
33 sumnum Romae habebit qui vestrum primus, o iuvenes, osculum matri
34 tulerit.' Tarquinii, ut Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus responsi
35 expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se uter
36 prior, cum Romam redisset, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus
37 alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram
38 osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium
39 esset. Reditum inde Romam, ubi adversus Rutulos bellum summa vi
40 parabatur.

Livius, AUC 1.56

Tekst 3

In onderstaande tekst vertelt Livius dat de senatoren van Rome Numa Pompilius als opvolger van koning Romulus wensten. Om de instemming van de goden te verkrijgen, liet Numa een vogelwichelaar de voortekenen raadplegen.

- 1 Omnes Numae Pompilio regnum deferendum decernunt. Accitus, sicut
- 2 Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque
- 3 deos consuli iussit. Inde ab augure, cui deinde honoris ergo publicum id
- 4 perpetuumque sacerdotium fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem
- 5 versus consedit. Augur ad laevam eius capite velato sedem cepit, dextra
- 6 manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellarunt.

Vervolgens bakende de vogelwichelaar de grenzen van de waarnemingsplaats af.

- 7 Tum lituo in laevam manum translato, dextra in caput Numae imposita,
ita precatus est: "Iuppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius
ego caput teneo, regem Romae esse, uti tu signa nobis certa acclarassis
inter eos fines, quos feci." Tum peregit verbis auspicia quae mitti vellet.
11 Quibus missis declaratus rex Numa de templo descendit.

Livius, AUC 1.18.5-10

Aantekeningen

- regel 1* **deferendum** Vul aan: **esse**
Accitus Daartoe uitgenodigd
- regel 2* **augurato** na het observeren van de voortekenen
urbe condenda toen Rome nog gesticht moest worden
- regel 3* **consulo** raadplegen
- regel 3-4* **cui t/m fuit** wiens functie sindsdien voor altijd door de staat
bekostigd werd
- regel 4* **meridies** zuiden
- regel 5* **consedi** perfectum van **consido**
laeva linkerkant
- regel 6* **appellarunt** = **appellaverunt** Onderwerp: de Romeinen
- regel 8* **precatus est** Onderwerp: de vogelwichelaar
- regel 9* **uti** + coniunctivus smeek ik u dat
acclarassis = **acclares**
- regel 10* **finis** grens
- perago verbis** beschrijven
- regel 11* **Quibus missis** Lees: **Quibus auspiciis missis**
templum waarnemingsplaats